

1816.

11

Viro Clarissimo et Ornatisimo,
Academiae Caesareae Petropolitanae
Rectori Magnifico,
Salutem et Officia.

Quoniam mihi ab ineunte aetate, Rector Magnifice! semper
visum est, nihil bonarum artium et doctrinarum cultorem et artisti-
tem magis decere, quam omni cura et studio in id incumbere, ut Lite-
rarum fines proferantur; primum discendo, tum legendo et meditando,
ac denique scribendo huic salubri consilio satisfacere conatus sum. Hac
certe mente cum alia aliis temporibus scripsi, tum nuperime Sodalium
Socraticorum Philomathiae Epistolas edidi. Quarum notitiam quum in
Rusiam nondum pervenisse arbitrarer, petu a viro juvene, qui hinc nego-
tiandi causa Petropolim proficisci sibi proposuerat, ut in se reciperet,
quaedam illarum Epistolarum exemplaria secum abportare, et illa Tibi,
Vir Orn.! quam primuz metropolim impetrasset, tradere. Neque spes

21
AV
181

mea me fefellit. Subens pollicebatur ille adolescens, pro sua humanitate et amico erga me animo, se omnia cum mea, tu, Literarum, gratia facturum. Sane igitur, Rector Magnifice! etiam, atque etiam a Te peto, ut hoc munusculum benevole accipias, et quaedam exemplaria, data temporis opportunitate, ad alias Imperii Russici Academias transferri cures. Fieri quidem potest, de quo non statuar, ut nomen meum, Vobis omnino ignotum, sit: at magistri et amici mei Philomathis, hoc est summi Danielis Wyttenbachi, famam ad vos pervenisse, partim summi viri singularis eruditio, partim Vester erga Literarum doctores insignis amor dubitare me minime sinit.

Caeterum, Vir clarissime! nihil mihi jucundius erit, quam aliquando cognoscere, hoc quamvis exiguum munusculum, Tibi non omnino ingratum fuisse. Saxitque D. O. M., ut Tu non modo cum reliquis bonarum artium, et doctrinarum Professoribus fruaris omnibus bonis et prosperis rebus, verum etiam illa cetera millia armatorum militum, quos Summus Imperator Russia nobis ad opprimendam istam, summi generis pestem, famosam, et sceleratam, Napoleontem, Corsicanum, auxilio misit, propediem victores in patriam redeant, alma pax nos beet, nec amplius optandum sit, ut Cedant arma togae, concedat laurea linguae, sed id rapse eveniat.

Scripti Lierizeae
in Batavis

Idie Kal. Junias
A. 1800.

Guil. Leon. Masne.

Masne